



Iesus Christus secundū diuinitatem æternus Dei
 filius, cum patre & spiritu sancto eiusdem essen-
 tiæ & potentiæ unus Deus, uerū secundum hu-
 manitatem conceptus à spiritu sancto, & natus ex
 Mariā uirgine est, iuxta Prophetarum oracula, ut
 suo sanguine pretioso humanum genus, ob primo
 rum parentum inobedientiam damnatum, Deo pa-
 tri reconciliaret, atq; Iudæos & Græcos, omnesq;
 terræ incolas in unum corpus Ecclesiæ, cuius ipse
 caput est, redigeret, id quod S. Paulus ad Gal. 3. te-
 statur: Non est Iudæus neq; Græcus: non est seruus
 neq; liber: nō est masculus ac fœmina: omnes enim
 uos unum estis in Christo Iesu. Ut etiā Christus ho-
 minū perfectissimus, & imago patris, ita etiā omniū linguarū & sciētiarū erat
 peritissimus, id quod anno ætatis duodecimo cū in templo legem explicaret,
 deinde cum linguarum etiā donum suis Apostolis per Spiritum sanctum
 communicaret, patefactum fuit. Itaq; meritò saluatoris nostri, secundum hu-
 manitatem, uitam nostro operi paucis inserere placuit. Incidit autem eius na-
 tiuitas in annum mundi ter millesimum noningentesimum & septuagesimū,
 id quod alibi in nostra Chronographia Ecclesiæ demonstrauius: quum Au-
 gustus Imperator iam per annos quadraginta duos orbem gubernasset, atq;
 ubiq; altam pacem constituisset. Quum autem Mariā uirgo ex Dauidis stem-
 mate prognata, iuxta Gabrielis angeli dictum concepisset, & iam uterum ge-
 stare cœpisset, ne Ioseph, cui desponsata erat uirgo, rem uitio uerteret, utpote
 tanti mysterij ignarus, cœlesti oraculo monitus fuit, diuinitus factū esse quod
 Mariā grauida esset, parituramq; eam filium Iesum, qui saluum facturum sit po-
 pulum à peccatis suis. His pius Ienex instructus in connubio sanctè perseue-
 rauit, & sanctam puellam insigni pietate ab omni iniuria defendit.